# IOANNI PADUANII VERONENSIS OPUS DE STELLIS CRINITIS. DEQUE EARUM VARIIS...

Giovanni Padovani



# ILLVSTRI, AC REVERENDISS. DOMINO D. Augustino Valerio Veronæ episcopo.

## Ioannes Paduanius ei deditissimus S. D.



Onuisti me non ita pridem, optime Antistes, nescio iocone, an seriò subridens, ut de stella crinita, quæ non sine ingenti uulgi admiratione per bimestre, & eo amplius spacium in calce anni superioris atque huius etiam in quo nunc sumus initio continenter ardere uisa est, aliquid ipse quoque conscriberem. Ego uero qui pro eo quanti apud me tua semper authoritas fuit, meritoque propter eximia tua in me merita esse debet quosuis uel minimos nutus tuos summi imperij loco habeo, hanc licet satis mihi quidem arduam, ac per difficilem prouinciam aggredi confestim non dubitaui. Itaque omnibus omniũ quos potui nancisci scriptorum tam ueterum, quam nouorum monumentis unde ad id quod pararem adiumenti aliquid mihi sperarem afferri posse magno studio conquisitis, ac solerter etiam excussis, meoque ad eorum sententias adhibito iudicio, opusculum hoc oratione pedestri quod ad alliciendas ad eius lectionem & tuas, & aliorum laudes aptior ea uidebatur futura, confeci, idq;

n duas partes diuisi: in quarum priore generatim originem, naturam, significationesque omnium huius generis stellarum heroico carmine explicaui, atque indicia praeterea quædam adieci: quæ siquis attentè animaduertere uoluerit, facilè opinor intelliget, quum se in posterum aliquæ tales ostenderint, quid pro diuerso scilicet singularum habitu earum unaquæque portendat. In posteriore uerò elegis exposui quidnam ea nominatim sibi uelit, de qua supra dictum est, quæue eæ sint orbis regiones, in quibus potissimum suo tempore effectura sit quæ paulo ante uisa est, denunciare. Hoc autem, qualecunque est, tibi utpotè præcipuo quodammodo eius authori inscribere libitum est, ut unà cum cæteris, diuerso licet argumento, aliàs scriptis à me tibiq; similiter inscriptis, ac fortasse etiam posthac inscribendis libellis testimonio esset apud eos, in quorum manus perueniret, non quidem exquisitæ ullius meæ doctrinæ, quã certè mihi nunquam in unguẽ uẽ dicaui: sed pergrati animi, prõptissimiq; erga amplitudinem tuam obsequij. Tuæ uerò (ni fallor) partes fuerint summa mihi obseruantia, colende Antistes, huiusmodi fœtum, uolente te, natum, ut uerè tuum agnoscere, nec ullo modo uelle aspernari, quin hilarè potius amplecti, atq; aduersus procaces maleuolorum linguas, si quæ fortè in eum tales extiterint, solito tuo patrocinio gnauiter tueri, atque defendere.

DE

# DE STELLIS CRINITIS,

## ET PRIMO' DE EA QVAE COEPIT SE OSTENDERE CIRCA NONVM DIEM NOVEMBRIS.

*Anno Domini 1577. in principio noctis à parte venti Africi in prima facie Capricorni cum latitudine Septentrionali graduum quatuor plus minus, durauitque vsque ad decimum Ianuarii anni 1578.*

*Eius autem longitudinem in prima apparitione fuisse ferunt 26. graduum.*

### CAPVT PRIMVM,



*Ille & quingentis septem ac decies quoq; septē*
*Natali à Christi Domini uoluentibus annis,*
*Nona ipsa mensis nigranti nocte Nouembris,*
*Occidua primùm cœli in regione serena,*
*Crinitam populi stellam uidere maligno*
*Spargentem latè radios pallore minaces.*
*Ipse locum, cursumque eius, moresque notaui:*
*Et primum inuenta est præcisè unde Africus efflat,*
*Cauda ardens longo tractu uergebat ad ortum,*
*Lata nimisque fuit cœli per inane uagando,*
*Sunt solitæ tenues agitante ut flamine uestes.*
*Quum primum ergo oculos ad cœlum attollere cœpi,*
*Atque hæc per tenebras noctis miracula uidi,*

*Expaui*

*Expaui extemplo ſubitusque per oſſa cucurrit*
*Ima tremor, gelidisque mihi uox faucibus hæſit,*
*Me miſerum dixi, dirus mala multa minatur*
*In toto hoc miſeris mortalibus orbe cometa.*
*Quippe glomos illum, uelut ex fornace uomentem*
*Vidi, perque polum uarias diſcurrere flammas.*
*Aera perque amplum crebras uolitare fauillas*
*Dum peragrat, curſum ſolerti indagine ſeruo.*
*Illius & uideo motus hunc ſeruare triformes.*
*Quemlibet iſtorum rurſus ſtudioſus adæque*
*Obſeruo, atque inſtar primi procumbit in undas*
*Mobilis occiduas, linquens poſt terga caducas*
*Sintillas, cauda cœlum luſtrante ſerenum.*
*Alterum item motum, ſed contra omnino priorem*
*Deprendo: obſequitur ſignis, ſenſimque rotando*
*Ortum uerſus abit: ſiquidem prope perficit omni*
*Luce gradus ternos, uerum & quandoque quaternos.*
*Vltimus ad boream eſt motus. poſt æquidialem*
*Per Iouis armigerum tranſit ſeptemque triones*
*Et rigidos Cymbros petit, & borealia regna.*
*Tres igitur uiſus motus eſt habuiſſe cometa hic,*
*Dum uagus in uaſto paſſim ſpatiatur Olympo:*
*Durauit que dies per ſexaginta duoſque:*
*Nam decimo demum defecit lumine Iani.*

## De materia cometæ, & quomodo generetur. Cap. 2.

QVæritur hic lampas cuius ſit materiei.
Terreſtres, dicunt, qui exhalãt eſſe uapores
Et condenſantur iouis in regione ſuperna
Mittit eò radios dum Sol ardere uidentur.
SVNT aliqui deinceps qui credunt urere uerè
Ipſam materiam: nam quum exhalatio tangit
Aethereos ignes, extemplo accenditur ipſa,
Donec in extremos cineres ſit tota redacta.
Nonnulli ex rapido curſu hoc exiſtere credunt.
Nam celeri motu paulatìm accenditur ignis,
Flãmaque ab aſsidua cœli uertigine longos
Demittit radios, barbam poſt terga relinquens.
Vt ſi quis faculam accenſam geſtaret, eundo
Funderet hæc radios retrò per inane fluentes.
EST etiam quum ſtella facit de errantibus una hoc,
Exiguum quiddam ſecum lentoris habentem
Ad ſeſe ſibi ſubiectum è regione uaporem
Dum trahit, & ſubitò is radijs contactus ab eius
Aridus inſolitas extemplo concipit ignes,
Diraque mox de ſe per cœlum incendia fundens
Et facie ferus horribili, caudæque tremendis
Verberibus, reges, & latas concutit urbes.

VT-

VTQVE sepulcretis noctis quandoque uidemus
Per tenebras ignem tristem, flammasq; micantes,
Et uapor est qui exhalat humo; tetrisq; sepulcris
Rancida dum fiunt tumalata cadauera, deinceps
Vertitur in flammam, uibrans mittitq; pauorem,
(Phantasma aut dæmon nã interdum creditur esse)
Nec uerè est ignis, uapor at per inane coruscans:
Sic fit materia hæc quam dicunt esse cometam.
Namque cadaueribus crebris fætentibus ille
Qui uapor exhalat, sursum in regione superna
Aëris ardescit, labe & purgatus ab omni,
Syderis efficitur similis, noctuq; nitescit.

De cometis à septem planetis prouenientibus, & de eorum significationibus. Cap. 3.

ET quoniam à septẽ de errantibus aut generãtur,
Aut subsunt illis, ut natura indicat eius:
Nunc ideo species, naturam, uimq; cometæ
Insinuabo, breui teque id sermone docebo.
EST ueru eorum primus, Cœnaclumque secundus:
Pertica, Miles, astonæ Dominusq; uocatur
Quintus, sed sextus trahit à sibi tempore nomen
Consimili, nam Aurora aut Matutina uocatur:
Septimus argentum, octauus Rosa, denIq; Furuus.
Quattuor è queis quos numerauimus ordine primi

Ab

Ab reliquis nullo ſtellis diſcrimine diſtant:
Atque omnes pariter crudelia bella minantur
Terroresq;,luesq;,famem, & genus omne malorum
Exque colore autem poteris mala uaticinari,
Atque ex natura ſigni ſub quo reperitur
Quum primū apparet:nec pars quoq; te illa latebit
Orbis ubi metuenda mala,& quo tempore fiant.
SI quis in eoa ſe oſtendet parte cometes,
Aut etiam arctoa, uerſusque uagauerit auſtrum,
Quæ mala promittet,celeri pede tunc properabunt
Occiduas ſed ſi ad cœli properauerit oras,
Hos tardè afflatus guſtabunt Regna malignos.

De ſignificationibus ſingulorum cometarum iuxta Arabum interpretationes. Cap. 4.

ERgo ueru aſpectu horrendum cū ſole uagatur
Seu iuxta ſolem, qui quando apparet, obeſſe
Fructibus arboreis aſſolet, & gramina læta
Denegat, & fruges, miſeris alimenta colonis
Expectata diu: mutat quoque regna: tyrannis
Atque uiris altæ eſt infenſus progeniei.
COENACLVM uires præſe fert atque colorem
Martis, habens radium ſimilem fumo, cinerique.
Hoc genus oſtenti quamuis præſagiat arctam
Annonam, miti tamen hoc moderamine fiet,

*Hoc genus humanum pereat ne funditus omne.*
*Hoc terris etiam crudelia prælia monſtrat.*
*Quidam etiam inſurgent præter ſpem relligioſi,*
*Qui ſe intromittent, quamuis conceſſa facultas*
*Non ſit eis: uerum hi modicū (mihi crede) ualebūt,*
*PERTICA hẽt radiū craßū, ac ſi poſt traheret ſe*
*Perticam: & ipſe parū ſplendoris cõtinet in ſe.*
*Hic pluuiam prohibet, ſiccat fontesque, lacusque,*
*Et tellus fruges negat infœcunda colonis.*
*Attamen effectus uariat prout conſociatur.*
*Nam ſi Saturno fuerit coniunctus: ad orcum*
*Grandæuos mittet, iudæos, agricolaſque,*
*Inſuper antiquos infeſtans relligioſos.*
*Cum Ioue ſi fuerit iunctus, tunc regibus affert*
*Talia, coniuncti qualis natura planetæ eſt:*
*Semper amicus erit fortunatus: ſecus hoſtis.*
*Si Martis ſocius fuerit pariterque feratur*
*Per cœlum: heu miſeram fœdabit ſanguine terram,*
*Et ſtrages dabit horrendas, magnasque ruinas*
*In populis; & ſubiectis regionibus ipſis*
*Damna, fugas, cædes, incendia, furta, rapinas:*
*Talem nam Martis naturam nouimus eſſe.*
*Si Veneri iunctus, nubes pluuiasque negabit,*
*Areſcent fontes, areſcent ſtagna, lacusque.*
*Foſſarum in ſummo cantabunt margine ranæ,*
*Omnes inque ſua flacceſcent arbore frondes.*
*Mer-*

*Mercurij uerò stellæ si concomitetur:*
*Tum iuuenes timeant mortem, scribæ, & sapientes,*
*Naturæ qui scrutantur secreta parentis,*
*Et leges tractant, & plebi iura ministrant.*
*Lunaque dat causas populares, atque tumultus,*
*Et rixas inter famulos, famulas, gerulosque,*
*Quæque ministerijs se in uilibus exercentes*
*Personæ uiles sectantur uile lucellum.*
*MILES est Veneris naturæ, magnus, & instar*
*Lunæ falcatus, radios fundit per inane*
*Post se: Zodiaci discurrit per duodena*
*Signa, quoad fuerit reliquum quid materiei.*
*Hic quoque principibus, magnatibus, atq; tetrarch*
*Assiduas affert curas, uariosque labores:*
*Suscitat & quosdam, qui iura uolent renouare,*
*Et populi leges, sanctosque euertere ritus:*
*Ex hoc expectandum etiam quòd tempore paruo*
*Iusta Dei in sæuos bacchabitur ira tyranos.*
*ASCONE dominus sequitur uim Mercurialem.*
*Cærulus est, paruus, caudaque exurgit in altum*
*Vt geminas alas iungitque cacumina in unum*
*Ambarum. Clades hic portendit quoque regnis.*
*Cauda exterminij loca commonstrabit, & urbes,*
*Quas super, intentum minitans direxerit arcum.*
*MATVTINE aut Auroræ color est rubicũdu*
*Hic habet ingentem caudam, at dicta ante minor e*

Qui ſi eous erit, teneat caudamque remiſſam,
Bella, lues, ignes, Chaldæis ſunt metuenda,
Aegyptus ſiccos fontes ſpectabit, & amnes:
Et nili crocodilus hians cernetur in undis.
ARGENTVM argenti ſuperat candore colorē.
Naturæ Iouis eſt: qui quum primum uideatur,
Atque Iouem piſces, Cancer ue moretur: ibi tum
Largas fundet humus fruges, nec uota coloni
Irrita erunt, quoniam ingentes teret area meſſes.
Tum lætæ pecudes ubertim gramina carpent.
Verum ſi infortunatus ſit Iuppiter, ægre
Expectata dabit bona, quæ promiſerat ante.
EST Roſa, magna, roſæ ſimilis, facieque rotunda,
Aureus argento color eſt commixtus in illo,
Effigies hominis quandoque uidetur in ipſo.
Regibus hic mortem præſagit diuitibusque:
Antiquasque nouat leges, mutatque regentes.
SATVRNI Niger eſt, color ut facile ĩdicat eius:
Qui quũ apparuerit, ſemper portendit in illis
Partibus obiectis ipſi, pertriſtia fata.
Nam quandoque dabunt ſontes cum ſanguine pœnas,
Aut aliqui laqueis mortem experientur amaram.

## APPENDIX.

Et quoniam ſatis iam dixi capite 2. de uarijs horum opinionibus quomodo cometæ ſeu crinitæ ſtellæ generē-tur,

tur, cupiensque lectori plenius satisfacere, libuit mihi etiam subijcere nomina eorum qui in hac materia diuersimode opinati sunt, prout Plutarchus in quodam suo opusculo recensuit his uerbis.

## Plutarchi Chæronæi de crinitis, & emicantibus, & trabibus, & alijs id genus.

PYthagoreorum quidam, crinitam dixerunt stellam esse ex eorum numero quæ in cœlo comparēt, neutiquam asiduè, sed quæ statis temporibus ambitu certo paracto, exoriri denuo solent. Alij obtutus nostri repercussum ad solem, specularibus simillimè speciebus.

Anaxagoras, Democritusq;, duarum aut plurium stellarum inuicem se illustrantium. Aristoteles, ignitā siccæ exhalationis concretionem, Strato, syderis lumē densa nube obtētum, quomodo et in facibus fit. Hera clitus Ponticus, præaltam nubem putat ab lumine su pero illustratam. Hic causam affert pogoniæ, idest barbatæ, areæque, et trabis, & columnæ, & huius modi, quomodo sanè & omnes Peripatetici. Hæc enim propter nubis configurationes fieri. Epigenes, spiritum terreni quid habentem sublime ferri, inibiq; ignescere. Boethus, liquatum aerem huiusmodi speciē præbere. Diogenes, crinitas stellas re uera esse.

Ana-

Anaxagoras, micantes, quæ dicuntur ab æthere ſcintillarum inſtar delabi: ideoq; continuò extingui, Metrodorus, Solem uiolentius in nubes ingerentē ſcintillare. Xenophanes, hoc genus omnia ignitarū glomeramenta nubium, aut uibramenta eſſe.

## DE COMETIS PER duodecim ſigna Zodiaci ſecundum Leupoldum.

♈ COmeta ſi apparuerit in æquinoctio Arietis, ſignificat detrimentum regni Babyloniæ, & bella inter græcos & barbaros: & inter Italos & Alexandrinos, infortunium Romanorum, ſiccitatē magnam, & dolores oculorum, & mortem boum, & deſcenſum nobilium, & eleuationem infirmorum, & multas mineras auri & argenti cum magno calore in æſtate: & ꝙ religioſi debeāt ſe intromittere de factis multis illicitis. Et ſi apparuerit in oriente, cadet odiū inter Perſas & alios: & obedient Regi Babyloniæ plures regiones. Si in occidente, magnates malum habebunt à regibus, & cædem in occidente, & pluuias multas, inundationes fluminum, & niues.

♉ Cometa ſi apparuerit in Tauro, erunt guerræ & rumores terribiles in terris Romanorum & Babyloniæ, ægritudines uehementes cum annona pauca. Et

in-

*incurrent ciues Italiæ infortunium, & erunt in capti uitate & oppreßione, & mortalitate, uigebuntque multi dolores ſicci, ut ſcabies & pruritus, & mors boum, & abſciſio uarum, & deſolabitur quædam pars per terræmotum, & erit frigus uehemens, & corruptio meßium, cũ caſu fructuũ arborum, & pau citate culturæ & plantationũ. Et ſi in Oriente appa ruerit, Rex timebit de inimicis ſuis: & cadent bubo- nes in homines, & durabit hoc annis conſequentibus, & ægritudines multæ in quarta æſtiua. Et ſi in occi dente, ſignificat pluuias multas.*

♊ Cometa ſi apparuerit in Geminis, Rex Roma- *norum habebit anguſtias & infortunia, quæ adue- nient Regi Aegypti; quæ inducent ei mortem. Et regnabit poſt ipſum fur, qui non erit de Aegyptijs: & erunt ægritudines, & mortalitates, & fames, & mors puerorũ, & aborſus prægnantiũ, & mors auiũ, & tonitrua magna, & coruſcatio, & uenenoſa cõburẽ tia fructus. Et ſi in Oriẽte apparuerit, multi magnates cadent ab ordinibus ſuis. Si in occidente, multã capti- uitatẽ, & pluuias multas, & inundationes ſignificat.*

♋ *Cometa ſi apparuerit in Cancro, ſignificat bella, & multam mortem, & multa mala & ſubmerſionem, & mortem ſubitaneam quorundam: multas pluuias, & paucos piſces.*

*Et ſi apparuerit in oriente, erunt anguſtiæ & uilitas*

*annonæ in fine anni. Si in occidente, rixam significat inter reges, & post hoc pacem.*

*Cometa si apparuerit in Leone. significat pugnam inter reges in fine anni, & multam effusionem sanguinis in Oriente, & mortẽ quorundã nobiliũ, & strãguriã, & dolorẽ oculorũ, ægritudinẽ luporũ, & rabiẽ canũ. Et si in Oriẽte apparuerit, significat multas cõtentiones, & siccitatẽ. In Occidente uerò, ægritudines multas, & fortitudinẽ luporum, & rabiem canũ.*

*Cometa in Virgine, significat uilipensionem mercaturarum cum iniuria, & multos dolores febriũ, & tremores, & uentositatem mulierum, & ulcera, & pustulas, & aborsum prægnantiũ. Et si fuerit apparẽs in Oriente, & sol in Virgine, significat pugnam, quæ ueniet ciuibus Persiæ, Albauuez, & eas uincent, & cadere dissidium inter eos. Si fuerit à parte Occidentis, significat pugnam, quæ adueniet ciuibus Babyloniæ cum multitudine fructuum.*

*Cometa in Libra, significat asperitatem Regis Babyloniæ, & uehemẽtiam suæ iniustitiæ, & mortẽ Regũ occidẽtis, & multorũ mortẽ principũ & nobiliũ, & effusionẽ sanguinũ, & mortalitatẽ, & abscisionẽ merciũ cũ paucitate pluuiarũ, & multa serenitate, & ualiditate uẽtorũ, & siccitate fluminũ, & destructione fructuũ. Quod si apparuerit in Oriente, significat multa infortunia Regi Babyloniæ aduenire,*

*& casum*

& casum bubonis in eis: appreciabuntur equi & cameli cum guerris aduenientibus in terra Romanorũ. & se interficere adinuicem, & consequentur ciues Almauzil nocumentum. Si uero apparuerit ex parte Occidẽtis, significat ciues Albauez nocumẽtũ inferre & debellare ciues Babyloniæ, & mortẽ eorũ, & quorũdã regũ, & facere seruos contrarios dominis suis, et parũ obedire eis, cũ mediocritate fructuũ.

♏ Cometa in Scorpione significat dolorẽ testiculorũ, uesicæ, & costarũ, et rixã regũ, et malũ nimiũ parturientiũ, et multas pluuias nociuas, et destructionẽ fructuum per gelu, et tenebrositatẽ aeris: et paucitatem aquarũ et desiccationẽ fluminũ, et horribilitatem pisciũ. Quod si apparuerit in parte Orientis, erit salus Babylonicis; et mors pauca, et durabit illud annis sex et rabies luporum, et canũ inualescet. Et si apparuerit in occidente erũt locustæ, sed parum nocebunt.

♐ Cometa in Sagittario, significat uehemẽtiã Regis, super plebẽ, et desideriũ cõgregãdi pecuniã, et mortẽ quorũdã nobiliũ: et uehementiã caloris, et paucitatem fructus palmarum. Si fuerit apparitio ex parte orientis, significat mortem Regum, et pugnam, et latrocinia; et paucos redditus hæreditatum, et fructuũ.

& multa infortunia in Occidẽte, & Regi ibidẽ, & rixã, & rumores terribiles in Persia, & uersus meri diẽ, multitudinẽ latronũ: depressionẽ religiosorũ, et bonorũ, & mortẽ, & nimiã grãdinem, & niues, & destruẽtur plantæ, & maximè ortorum. Si apparuerit ex parte Oriẽtis, significat impedimẽta, quæ aduenient Regibus quibusdam ab inimicis suis, quæ erũt causæ mortis eorum, & renouationis regni quorundam magnatum cum multis niuibus, & pluuijs, & saluationẽ uinearũ, & fructuum. Si apparuerit ex parte Occidentis, significat herbositatem anni, & abundantiam aquarum in partibus Capricorno subiectis.

Cometa in Aquario significat mortẽ Regis in parte orientis, & exitum uirorum qui quærunt Regnum, & cõtrarietatẽ cadere inter Reges propter illas causas, & nimiã mortẽ, & bubones, & leprã, & cædẽ, & pugnã in parte terræ Occidentis, & durare illud lõgo tẽpore, & tenebrositatẽ aduenire in aere, et multũ tonitruũ, & coruscationes, & fulmina, & mortem pluriũ hoĩum propter illas causas, & paucitatẽ auiũ & pisciũ, & uilitatẽ annonæ. Quod si fuerit eius apparitio ex parte Orientis, significat multam herbositatem. Si uerò fuerit ex parte Occidentis, significat multitudinem terribilium rumorum in terra Persarum, & montanis, & deprædationem super arma Regum, & multam celeritatem in terra nigrorum.

X Cometa

X Cometa in piſcibus ſignificat mortē alicuius plebis & multā cædē in Regibus nigrorū & Aegyptiorū, et hoc propter cauſas fidei, & erunt prodigia, & Rex exibit, & cōburet ciuitates, & habebit malū, & erit abuſus inter homines, & interficient ſe religioſi adinuicē, & apparebit paupertas, & piſces morientur, & non erit proficuū in aquis. Et ſi apparuerit in Oriente, & Sol fuerit in piſcibus, erit uehemētia in ducibus & principibus, et erunt inobedientes Regi, et tollent cenſum Regis, et erit timor in multis climatibus, et infortunium in Perſia cum pluuijs multis. Et ſi in Occidēte apparuerit, multæ erunt per hoīes anguſtiæ, & mortes in pluribus climatibus, & præcipuè in parte Occidentis, & durabit annis tribus, & erunt aues multæ & piſces, et inundatio fluminum.

Quū fuerit apparitio aliquarū ſtellarū comas habētiū in aſcendētibus radicū natiuitatū Regū aut in ſignis profectionū, aut in aſcendentibus reuolutionū, aut in ſignis diuiſionis, & præcipuè in ipſo termino, aut fuerit cū dominis aliquorū: ſignificat multas anguſtias, & bella aduenire eis: & erit illud propter cauſas inſurgentiū in eos: & multiplicabitur inuidia eorū, & iniuria in hominibus, et fortaſſe ſignificat cædem eo-

per illas causas. Et (ut semel dicā) semper metuēdum est malum, quando in principio eius apparitionis fuerit in signo horoscopi alicuius natiuitatis, reuolutionis, diuisionis termino, et in signo, qui praeest illi ciuitati, aut regioni.

# SECVNDA PARS

IN QVA CONTINETVR VATICINIVM super Cometa, qui apparere cœpit die 9. aut 7. Nouembris, anno Domini 1577. & durauit usque in decimum diem Ianuarij anni sequētis 1578. eius aūt lōgitudinē, in prima apparitione fuisse ferūt graduū 26.

## CAPVT PRIMVM.

SVmmus rex regum Deus, et suprema potestas,
Fortius, et maius quo nihil esse potest.
Qui pater est Diuûm, qui mundi cuncta gubernat,
A quo omnis uirtus manat et omne bonum.
Omnipotens auctor naturae, et semper eadem
Qua fuit, est, et erit, conditione manens.
Quantumcunque potest ultricem prorogat iram,
Prorogat et ualida mittere tela manu.
Immo quum meritas scelerum uult sumere pœnas,
Cœlitus emittit praeuia signa prius.
Quilibet ut possit lacrymis peccata lauare,
Et clemens fiat, qui prius acer erat.
Terribilem iccirco hunc fecit fulgere cometam,

Quo

Quo rarò in toto tristior orbe fuit.
Quumque attollo oculos, uideo et mirabile monstrum,
Expaui, et subito uox fugit, atque color.
Inde ego priscorum complura uolumina uoluo:
Consultique omnes, nil nisi triste canunt.
Sumpto igitur calamo sensum cuiusque repono,
Quo poßit scripta hæc quisque cauere legens.
Nam superare potest hominis prudentia fatum
Si uenit à summa sede petita Dei.

De uarijs accidētibus, quæ cometa ipse portēdat. Cap. 2

IMbuit & quoniam mortalia pectora flammis,
Accenditque animos, in furiasque trahit.
Bellicus iccircò furor imminet, atque tumultus,
Insontum strages, turpia stupra, neces.
Nequitiæ insurgent, obsessoresque uiarum:
Nullus in hoc expers orbe doloris erit.
Non frater fratri, nec amicus fidus amico,
Omnis & ad fraudes ingeniosus erit.
Filius affliget patrem, natumque nouerca:
Virque inimicus erit coniugis, ipsa uiri.
Regnabit uitium, uirtus calcata iacebit,

*Humana ergo graues uexantes pectora curas*
*Portendit monstrum hoc, & genus omne mali.*


## *De uarijs aeris mutationibus, & de insolitis accidentibus in hoc mundo contingentibus.* Cap. 3.

*INsurgent uenti terræ, pelagoq́; nocentes,*
*Fœtibus arboreis, frugibus, atq; satis.*
*Perq; procellosum discurrent fulgura cœlum,*
*Atq; Iouis ualida fulmina missa manu.*
*Quin etiam terræmotus, quo plurima multis*
*Fundamenta ruent, urbibus atq; locis.*
*Vix pluuiam cœlum dabit, undam amnisq; negabit:*
*Siccus erit puteus, fons, lacus, atq; palus.*
*Tum sitiens tellus iumentis læta negabit*
*Gramina, & agricolis uix alimenta dabit.*
*Tum genus omne hominũ in terris uolucrũ, atq; ferarũ*
*Sæuiet in rabiem, damnaq; multa dabunt.*
*Insurgentq; lupi pueros, pecudesq; uorantes;*
*Rusticus in campis uix bene tutus erit.*
*Hæc autem euenient tardè, quæ commemoraui:*
*Occiduam partem namq; cometa tenet.*
*Temporis hoc spatio quædam miracula surgent,*
*Ad quæ certatim gens male sana ruet.*
*Cætera quæ euenient faciam nunc missa: subinde*
*Namq; dabunt se oculis ipsa uidenda tuis.*

AST ubi se extendãt mala nunc hæc, uaticinabo
Sint modo fatidico numina dextra mihi.
Sentiet in primis Germania tristia fata,
Atq; graues pœnas, suppliciumq; dabit.
Impia sacrilego nam læsit crimine cœlum,
Titanum insistens impietatis opus.
Agmina discurent telis uibrantibus: atq;
Exiget hic pœnas, mœstus at ille dabit.
Funditus euertent urbes, templa, atq; penates,
Flectentur nulla numina læsa prece.
Crebra uidebuntur prostrata cadauera: nec non
Sanguine multo undans luxuriabit humus.
Gallia, quæ læsit toties hominesq;, Deumq;,
Sentiet hostili uulnera facta manu.
Et tu nonne uides, acies tibi Flandria quanta
Ingruit, ut perdat te, patriam, atq; domum?
Rex quidam hesperius mortem gustabit amaram,
Et populus Regis funere mœstus erit.
Namq; noua inuitus cogetur uincla subire,
Hostiliq; iugo colla premenda dabit.

*Occidua Italiæ pars uix euadet ab istis*
*Cladibus, & Capro subdita quæque plaga.*
*Quid multa? apparent quoties horrentia monstra,*
*Prælia portendunt, & genus omne mali.*
*Ergo christicolæ lacrymis peccata lauate,*
*Et petite ignoscat crimina uestra Deus.*
*Culpa (grauis quis) donatur sæpe precando,*
*Et crebra ultoris fit minor ira prece.*
*Si petimus ueniam, extemplo peccata remittet,*
*Cuncta & delebit, sint grauiora licet.*
*Sic erit ut nullū sydus, nullusque cometa*
*(Quamuis terribilis) possit obesse tibi.*

# F I N I S.



INDEX EORUM, QVAE IN HOC OPVSCVLO CONTINENTUR iuxta ordinem capitum.

PRIMAE PARTIS.



SECVNDAE PARTIS.



